

revocatum, universi Ordinis curae commendatum, a tot ac tantis Praesulibus adprobatum est?

Locum porro invenire oportebat, ut ita dicam, medium inter modesta incunabula, domum scilicet Convertendorum, et amplum fastigium, Abbatiam mox in Aventino monte complendam; quem locum majori monachorum, lectorum et alumnorum numero accomodare liceret, quique decens novo Primati praeberet hospitium.

Jam vero optata feliciter evenere. Domus enim larga satis, fundus Equitum S. Joannis a Malta Insula nuncupatorum, in salubriori Urbis regione, in via vulgo dicta Bocca di Leone sita, non exiguo labore reperta est, in quam munificus Protector noster Leo XIII annuit benigne S. Anselmi Collegium de priori sede transferri.

Perlaeto inde animo haec fausta Paternitati tuae Rmae renuntio, certa motus spe, nihil te intentatum relicturum, quin e filiorum tuorum gremio, disciplina, ingenio inclytos Romam mittas alumnos, quo plenius tam insigni in nos Summi Pontificis voluntati fiat satis, Supremusque Pastor de augmento boni gregis gaudeat.

Quod autem ad me attinet, licet SS. D. N. Leonis XIII fiducia, atque universi Ordinis nostri benevolentia indignus, omni qua par est diligentia saluti atque moribus juvenum curis meis commissorum invigilabo, totusque ero ut, Deo juvante, cuncta Paternitatis tuae Rmae desideria aeque adimpleantur.

Interim, dum novae aedes monasticis ac scholasticis usibus rite aptantur, placet studia, praecedentibus de more exercitiis spiritualibus, aliquanto tardius inchoari, lectoresque simul cumdiscipulis Romam convenire die decima Novembris, pridie festi Sancti Martini.

Plurimum se orationibus tuis commendatum cupiens, omni reverentia fraternoque affectu se protestatur

Paternitatis tuae Reverendissimae

Humillimum servum ac fratrem in X^o

† Hildebrandus de Hemptinne, Abbas-Primas O. S. B.

Datum in Abbatia nostra S. Benedicti de Maredsolis, die 17 Septembris, in festo Septem Dolorum B. M. V., 1893.

VIII.

Litterae charitativae Abbatis Primatis de die 9. Nov. 1893.

Hildebrandus, Summi Pontificis LEONIS XIII voluntate Abbas Primas, novissimus omnium merito, Reverendissimis Confoederatarum Congregationum Archiabbatibus, Praesidibus Abbatibus, Fratribusque dilectissimis sub vexillo Cassinensis Patriarchae militantibus, pacem.

Divinae Providentiae inscrutabili judicio evenit, ut nomen atque officium Abbatis Primatis, generalibus Abbatum conciliis

nuper propositum, per litteras Apostolicas sub forma Brevis die XII Julii decurrentis anni datas solemniter probatum, S. Congregationis Episcoporum ac Regularium decreto die XVI Septembris emisso accuratius definitum, in me, licet indignissimum, conferretur. Quo munere decoratus, vel potius oneratus, non possum quin ex intimis animi sensibus aliquid saltem apud fratres meos scripto depromam.

Qui enim, colendissimi Patres, ab hac cordis effusione temperarem, quum me curis vestris adstare, imo vires, vitamque ipsam pro vestris studiis, consiliis, salute Christi Vicarius consumere jusserit? Tot igitur et laborum et gaudiorum jam participi, liceat ea, quae in tanto aggrediendo officio tum timorem, tum solamen ingerant, libera mente proferre.

Inter illa primum locum jure tenet scopus ipse quem SS. Patriarcha noster sibi suisque praestatuit, quum, afflante Numine, novae familiae fundamenta conderet, Regulamque conscriberet prudentia et doctrina aequae mirandam. Quid enim tunc moliebatur, ipsomet testante, nisi ut institueretur »Schola divini servitii«,¹⁾ in qua Christi asseclae, baptismatis unda purgati, fidei lumine illustrati, decalogi praeceptis informati, sacramentorum gratiis roborati, vitam omnem evangelicis consiliis accommodarent, monasticae disciplinae incumberent sedulo; ita ut, intima monita Spiritus Sancti avida aure percipientes, altiora in dies perfectionis culmina appetentes, de virtute in virtutem ascenderent, viderentque Deum deorum in Sion.«²⁾

Et re quidem vera, philosophorum gymnasia subtilioribus ingeniis consueta; fora dicendi studio, officinas colendis artibus, palaestras athleticas, castra militibus exercendis late patentia; et si quae sunt alia instituta, quibus animorum corporumve vires expolirentur: haec omnia adolescens ille gratia plus quam nomine Benedictus sparsa per Urbem plurima profecto reperiebat; scholas vero Dei studio dicatas quaerebat frustra: vel quod deerant paene, vel quod a sublimioris disciplinae tramite deflectebant, vel quod adversabantur rerum personarumque conditiones.

Jam vero huic disciplinae officinas aperuit Sublacensis specus.

Etenim postquam secretiorem hunc locum per annos plures jugi oratione, abnegatione sui nobilitasset, vir Dei Benedictus, superne illuminatus, ipse jam ex alumno doctor, ex eremita coenobitarum parens, totus in eo fuit, ut artis spiritualis in sua Regula principia traderet, suosque discipulos non magistros modo sed et patres effingeret.

Proinde a tironibus sibi addictis summopere S. Legifer expostulat ardorem discendi, desiderium videlicet Dei constans et

¹⁾ Prol. S. Reg. — ²⁾ Ps. LXXXIII, 8.

vehemens. Monasterium sane ingressurus vere Deum quaerat oportet, nec viam spernat qua ad eum pervenitur. Quam quidem viam ipsius prologi exordio obedientiam esse proclamatur: »Ut ad eum per obedientiae laborem redeas, a quo per inobedientiae desidiam recesseras.« Sicuti enim proto-parentes nostri inobedientia a Dei familiaritate decessere, ita quoscumque desiderium contemplationis urget atque perfectae caritatis, eodem obedientiae imprimis requiri studiosos elucet.

Sollicitos ergo ad obedientiam divus Benedictus voluit eos, quibus claustrum septa reseraret; ubi, intenti operibus nomine Dei injunctis, a terrenarum rerum cupiditate atque inordinato sui amore expediti, alacri corde perficerent opus Dei. Eo enim gratius redolebit sacrificium laudis, quo magis monachus »Christo confixus cruci«,¹⁾ seipsum obedientiae cultro hostiam mactaverit illi, apud quem »melior est obedientia quam victimae.«²⁾

Itaque Choragus noster Benedictus filios »contra altare cantores«³⁾ posuit, ipse ante altare moriturus. Ab altari, altero Calvariae monte, simul ac umbra altaris coelestis in quo Agnus stat coram Patre jugiter immolatus,⁴⁾ discant opprobria terrena amplecti atque supernae intendere conversationi. »Per patientiam hinc passionibus Christi participantes et ab ipsius magisterio nunquam discedentes«; illinc quodammodo »regni ejus merentur esse consortes«,⁵⁾ angelorum aemuli, spe hilares, »hymnos de canticis Sion in terra aliena«⁶⁾ diu noctuque cantantes.

Quo feliciter evenit, ut cordi monachi »in meditatione exardescat ignis«,⁷⁾ paulatimque »ad charitatem perveniat illam, quae perfecta foras mittit timorem.«⁸⁾ »Processu namque conversationis et fidei, dilatato corde, inenarrabili dilectionis dulcedine curritur via mandatorum Dei.«⁹⁾ Tunc anima diligens ac dilecta, semper orans, ad superna semper anhelans, igne Spiritus Sancti in Christum transformatur, et per Christum Patri arctissime conjungitur. »Si quis diligit me, ait Dominus, sermonem meum, servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus.«¹⁰⁾

Neque vero perfectionis schola, quam S. Benedictus condidit, mores tantum et voluntates perficienda respicit; sed et mentes veritatis studio, collustratione divina illuminandas, propiusque ad finem suum manu ducendas. Quomodo enim Deo, totius luminis fonti, anima intime conjungeretur, quin radiis uberioribus coruscaret? Quomodo sapientia illa, quam temere gigantes de coelo sibi arripere tentavere, quaeque fugit superbos »exquisite prudentiae et intelligentiae«¹¹⁾, non illaberetur in corda humilium, quum

1) Gall. II, 19. — 2) I. Reg. XV, 22. — 3) Eccli. XLVII, 2. — 4) Apoc. — 5) Prolog. S. Reg. — 6) Ps. CXXXVI. — 7) Ps. XXXIII, 14. — 8) S. Reg. c. VII. — 9) Prol. S. Reg. — 10) Joan. XIV, 23. — 11) Baruch. 3.

divina lege sancitum sit: »Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt?«¹⁾

Porro ordinis supernaturalis Auctor dona sua pro lubitu dispertit; neque periculis caret supernorum luminum immoderatus aestus. Ideo ea qua pollet discretione S. Benedictus vult, ut, quorum voluntates toto nisu, opitulante gratia, ad virtutem incitaverit, eorum quoque ingenia omni humano labore ad doctrinam stimulentur. Etenim talentum a Domino commissum in sudario reponere non licet; imo meliora appetentem ubere fœnore decet augmenta mereri.

Atqui inter disciplinas quibus christianae mentes sollicitantur, nulla reperitur monasticis rationibus accomodatior quam Sacrarum studium Litterarum, ac praesertim Domini Nostri Evangeliorum. Cujus rei ipse eremorum heros, Antonius, discipulos admonebat, quum teste S. Athanasio doceret: »ad omnem mandatorum disciplinam Scripturas sufficere posse.«²⁾ Idem tradidit S. Basilius Magnus, cui assentit Legifer noster scribens: »Quae enim pagina, aut quis sermo divinae auctoritatis Veteris ac Novi Testamenti non est certissima norma vitae humanae?«³⁾ Attamen, ne forte coelestis iste thesaurus temere utentibus periculo vertatur, S. Benedictus filiis suis »sanctorum catholicorum Patrum«⁴⁾ opera pervolvenda assignat, quibus adjuti, ipsa traditione Ecclesiae duce, Sapientiae culmina jam securo pede attingere valeant.

Quae quidem studia, utpote ad vitam sancte regendam efficacissima, etsi Patriarcha noster maxime suggerit, non ideo tamen alia, quae ad mores componendos minus directo conducunt, excludere intendit. Quid enim almus ille Praeceptor molitur, nisi »ut in omnibus glorificetur Deus?«⁵⁾ scilicet, ut tum corda, tum corpora ad unionem cum Deo ineundam praeparentur; ut, quodcumque sive natura sive gratia contulerit nobis, perfectissima quadam harmonia excolatur. Idem ait Apostolus: »De caetero, fratres, quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque justa, quaecumque sancta, quaecumque amabilia quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitate.«⁶⁾

Certe brevitatis humanae vitae optime conscius, non permittit S. Magister rebus vanis atque transiuris plus impendi studii quam oportet; neque pericula ignorat concupiscentiae in malum misere proclivis. Attamen, excessu quovis remoto, disciplina monastica rite servata, salva duce obedientia, rerum usum ingeniorumque cultum discipulis suis ultro concedit. Qua de re si quis dubitaverit, principiorum quibus nititur Regula, inductione facta facile convincetur.

¹⁾ Matth. V. 8. — ²⁾ Vita S. Antonii. — ³⁾ S. Reg. ult. cap. — ⁴⁾ Ibid. — ⁵⁾ S. Reg. c. 57. — ⁶⁾ Ad Philipp. IV, 8.

Corporibus enim alimenta, quae pro laboris ac virium mensura fuerint necessaria, ut tribuantur jubet; artificibus, ut citra vanam gloriam, nisi forte aliter Abbati visum erit, exerceant artes imperat. Num idem, qui haec constituit, ingeniis atque intellectibus fomenta denegaverit? Num monachos a caritatis officiis, a ministerii sacri operibus arcuerit? Artes liberales neque proscripsit, neque proscribere potuit B. Pater Benedictus, quippe quem Dei Providentia elegerat, ut per commilitones barbaras gentes, admota Evangelii luce, ad cultum humaniorem vocaret. Cui profecto operi explendo plane impar fuisset, nisi artibus, litteris, doctrinis optimis intra claustrum septa spatium dedisset.

Nec satis. Si natura hominis ad Deum elevanda, si munus monastico ordini divinitus commissum, haec studia perutilia reddunt; ipse hujus universi origo eadem validissime commendat. Volumen alterum, Sacras dico Scripturas, prae manibus semper volventes, alterum volumen, universum scilicet Cunctipotentis sapientiae ac voluntate exaratum, eo minus contemnant monachi, quo efficacius scientiis naturalibus, philosophia, historia, linguis variis, et si quae sunt alia id genus, paginae sacrae illustrantur. Geneseos enim exordia scientiis naturalibus, morales ac speculativas veritates philosophico discursu, narrata ab inspiratis auctoribus vel a prophetis praedicta historicis investigationibus explicari, probari, confirmari; textum denique ipsum studio linguarum miro modo dilucidari, equis est quem fugiat?

Monasteria proin, ut sint scholae dominici servitii, sapientiae tum divinae tum humanae sint fornaculae oportet. Artes humanae, doctrinae naturales, rerum gestarum notitia, jus sacrum, theologia dogmatica et mystica, scientia moralis ac pastoralis, divinae Scripturae meditatio, sanctorum Patrum perscrutatio, secretiores Spiritus Sancti illuminationes, si minus singulos, saltem monasticam familiam ita informabunt, ut appareat re vera visionem illam, qua beatissimus Patriarcha totum mundum unico solis radio est contemplatus, scientiam praefigurasse Ordinis sui, universa, Deum intuendo Verbumque per quod omnia facta sunt, conamine indefesso investigaturi.

Quo fit, ut claustra pietatis ac doctrinae undis referta regiones vicinas, quin et dissitas, exemplis, verbo, ministerio quasi perfundant. Montes excelsos illa dixerim, quorum culmina solis radiis immersa, nivibusque candentia, dum vallem fluviis irrigant quibus prata virescunt, satis agri laetantur; ipsi, ventis atque tempestatibus aditum modo claudentes, modo aperientes, prima et novissima serenitatis ac lucis oscula carpunt.

Quod quidem ab ipsis Religionis nostrae incunabilis contigisse quis ignoret? Anima quippe Benedicti adhuc adolescentuli supernis donis exundante, Sublacensis specus fontem emisit prae-

clarissimum, quo pastores, monachi, patricii romani, incolae longinqui reficerentur, sicut ait Psalmista: »Eduxit aquam de petra, et deduxit tamquam flumina aquas.«¹⁾ Inde, quum jam ad Casinum montem migravisset, uberius se Patriarcha noster adiutorem omnibus praestitit. E cacumine hoc sublimi tam copiosus torrens in terras defluxit, ut viciniores populos ab idolorum cultu avelleret, imo remotas gentes innumeras, Anglos, Germanos, Slavos, aliasque fide atque humanioribus artibus imbueret. In hoc sacrato monte, teste vita praeclari Thaumaturgi, pueri instrui, electae animae ad praecepta sanctiora conspiciuntur adduci; nec desunt caritatis opera quibus materiali angustiae occurritur: inopia pecuniis levata, fracta tyrannis in pauperes saeviens, peregrini omni comitate suscepti; verbo, nullum imbecillitatem sive spirituales, sive corporales excogitaveritis, cui Conditor noster vel ipse, vel per filios medelam et solamen non adhibere studuerit.

Majorum exempla posteriores secuti, Creantis, Redimentis, Sanctificantis Dei ministros piissimos agentes, non solum in schola perfectionis per Jesum Christum propius ad Patrem accedere conati sunt, vitamque in praedicando et contemplando Verbo incarnato consumpserunt; verum etiam per quatuordecim saecula inter nationes »transierunt beneficiendo«; ²⁾ nisi melius dixerim nationes ipsas cum aevo fluxas ad firmiora coenobia, utramque vitam spiritualem et corporalem ab eis accepturas, vicissim pulsando transiisse.

Sed, proh dolor, infandae procellae quae tam Ecclesiam quam civilem societatem ultimis temporibus concusserunt, rei quoque monasticae damna intulere gravissima. Discordiarum quippe fautores intelligentes probe, se, pacis arcibus unitatisque salvis, profecisse parum, in eas conquassandas furorem omnem converterunt. Ecce jam, quibus olim abundabat, monasteriis Europam paene destitutam! Ea tamen asceteria, quae veluti saeculares quercus quovis turbine fortiores, superstant, vel e radice meritis Benedicti jugiter virente nova exurgunt, tum beneficia recolunt gentibus olim collata, tum conferenda denuo quasi in semine praemonstrant.

Quae quum ita sint, finem sublimem a Sanctissimo Parente intentum, praeclaras S. Regulae sententias, illustrem Ordinis nostri historiam, egregia coenobia adhuc sparsa per orbem, viros tam insignes nostram Religionem decorantes, tot demum tantaque monasteria destructa et quasi e ruinis ad vitam revocanda; haec omnia, inquam, dum mente pervolvo humeris meis imparibus commissa: summa verecundia, reverentia, imo timore me sentio teneri.

Monasticus enim Ordo quum sit divini servitii schola, scien-

¹⁾ Psalm. LXXVII, 16. — ²⁾ Act. X, 38.

tiarum propugnaculum, atque examen operum charitatis, concilium nostrum Romae nuper habitum provide statuit, Abbatem Primate[m] ex universo Congregationum foederatarum gremio indiscriminatim assumendum esse, sola inspecta virtute idoneitate ac meritis.

Ultero igitur, Fratres dilectissimi, atque libenter multiplicem meam imbecillitatem agnosco, neque diffiteor mihi animo deficientem fuisse, nisi ad rationes formidandi quas modo exposui, aliae, quae spem ac fiduciam nutrent, accessissent.

Quas inter prima absque dubio occurrit ipsa voluntas Supremi Pontificis, Protectoris nostri munificentissimi, qua me huic oneri cervicem flectere jussit. Voluntatem quippe ejus qui in terris Christi vices agit, pignus duxi ipsius voluntatis divinae; neque me monachi nomen digne ferre censerem, nisi, tirocinio edoctus Abbatis jussa, etsi impossibilia imperantis, in charitate ac Dei confidentia ¹⁾ esse complenda, ipsius Supremi Pastoris, uti Abbatum Abbatis, placito me subjecissem. Quod eo libentius praestiti, quo majore cum prudentia, liberalitate, amore almus Pontifex Ordinem monasticum pristinae sanctitati atque splendori restituendum decrevit; nec minus decens extimavit, licet in terris supremo honore, summa auctoritate pollens, nostri Protectoris nomen sibi atque munus reservare.

Praeter istam benevolentiam vere paternam, animum mihi auxerunt fraterna testimonia, quae, Primas vix renuntiatus, a vobis, collendissimi Patres, gratissimo sensu accepi. Hisce enim, sive scriptis, sive ore prolatis, extemplo collegi vos omnes, placitis Sanctae Sedis ultro occurrentes, meaque infirmitatis immemores, communi operi mecum strenue ac unanimiter esse adlaboraturos.

Et certe opus non meum modo, sed nostrum omnium fore intelligo. Nullus enim organismus, minime Ordo monasticus, unius tantum industria coalescere potest et florere. Quantopere autem studiis vestris mihi innitendum sit, doctrina sanctae Regulae de Abbatis indole atque auctoritate sat superque ostendit.

In nostro enim sacro Codice Abbas familiae monasticae ita fundamentum positus est, ut, eo dempto, vix claustrum Benedictinum concipiatur, eo vero praesente, praecipuum jam adsit elementum. Ipse suorum Pater, Pastor atque Magister, vere »forma gregis ex animo« ²⁾ animas Christo parturit ac regit, quasi rationem pro eis Deo redditurus, ³⁾ atque omni sollicitudine progressioni virtutum, disciplinae regulari, ipsique rei familiari invigilat. Propriam quippe familiam habet, vere suam, nec quisquam, optima licet mente, in jura Patris sese intrudat.

Haud satis. Decursu enim temporum, exemplo quodammodo,

1) S. Reg. cap. LXVIII. — 2) I. Petr. V, 3. — 3) S. Reg. cap. II.

quin et verbis ipsis almi Patriarchae suadentibus, congregationes in sinu monastici Ordinis coaluisse videmus. Et re quidem vera, B. P. Benedictus, quum, teste S. Gregorio Magno, duodecim Sublaci coenobia condidisset, singulisque Abbates praefecisset, auctoritatem quandam superiorem, qua certis sub conditionibus ad ipsum aditus pateret, sibi reservasse creditur. Nec temerarie quis existimaverit, Legiferum nostrum de condenda quadam congregatione jam tunc temporis cogitasse, verum ab implendo proposito abstinuisse intuitu episcopalis auctoritatis. In illo enim S. Regulae capite quod »de ordinando Abbate« inscribitur, Episcopo commisit, vel Abbatibus aliis, vel ipsis Christi fidelibus, ut prohiberent pravorum praevalere consensum.³⁾

Ex qua sententia mire provida, cui ipsa historia suffragata est, lucide apparet, juxta mentem S. Benedicti, praeter eos quorum immediate intererat, custodem monasticae disciplinae ac virtutis esse Ecclesiae auctoritatem. Inde Romani Pontifices monachos pro opportunitate iterum atque iterum sunt adhortati, ut, foedere inito, plura monasteria inter se copulari curarent. Ita mos prudenter invaluit, ut coenobia ratione originis, vicinitatis, idiomatis, traditionum, vel cujuscumque tituli inter se connexa, in unam congregationem congressa, eisdem legibus, eidemque regimini subjicerentur.

Iam vero partes Archiabbatis, vel Praesidis, vel capituli Congregationis, quocumque nomine decoretur, in hisce praecipue consistunt, ut ad electiones Abbatum, quippe a quibus coenobiorum prosperitas imprimis dependet, rite ac prudenter procedatur; ut canonicae visitationes statutis intervallis persolvantur; ut generale capitulum, cui ipse praesit, tempestive convocetur; ut contentiones, si quae occurrerint, pacifice componantur; ut bono monasteriorum provide consulatur. Quae quidem omnia per singularum congregationum constitutiones ita sunt definita, ut ordinaria Abbatum jurisdictio, modo legitime exerceatur, ex illa jurisditione altiore plurimum quidem adjutorium et solamen gravaminis vero aut detrimenti nihil percipiat,

Hisce rite perpensis, liquet jam Abbatis Primatis officium, a Supremo Antistite conditum, jurisdictionibus Abbatum, Archiabbatum, Praesidum, tanquam tutissimo fundamento superstructum, pondere minus gravi meos humeros deprimere, quum inter diversos hierarchiae monasticae gradus sit quasi dispertitum, imo ab omnibus in auctoritate constitutis pro indole proprii muneris certatim sustentetur.

Atvero majora istis solatia non defuerunt: pignora dico supernarum gratiarum. »Neque enim qui plantat est aliquid, neque

¹⁾ S. R. cap. LXIII.

qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus.«¹⁾ Gaudeo nimirum me in hoc monte, altero Sinai, in hac ipsa basilica Cassinensi, Beatissimo Patri Benedicto tot nominibus sacra, abbatialem benedictionem olim accepisse. Quis porro digne laudes hujus loci celebrarit, quem Patriarcha noster adivit sanctus, in quo sanctior vixit, quem reliquit sanctissimus coelum conscensurus, exuviisque suis venerandis decoravit? Si jam paenula Eliae Elisaeum prophetico spiritu ditavit, nonne pie speravero gratiae quidpiam atque juvaminis e tanti Parentis tumulo in filiorum infimi pectus effluxisse, quum, prostratus ad ipsius aram, a benedicente Eminentissimo Cardinali Sanfelice, Ordinis nostri decore, spiritualis gubernii charismata efflagitarem? Unde, quo magis de meis infirmitatibus erubesco, eo magis gloriabor de abbatiali initiatione in hoc sacro monte suscepta; qua, licet ipsi jam dudum conjunctissimus, novo arctioreque amoris ac venerationis vinculo me familiae Cassinensi copulari sentio.

Spe igitur dulcissima moveor Parentem Benedictum mihi adiutorem fore, sanctumque Anselmum, novae Abbatiae in Aventino monte sumptibus Leonis XIII prope erectae patronum praeclarissimum, me nunquam esse derelicturum. Propria virtute orbatus, a viro illo sancto adiuver; destitutus doctrina, a Doctore summo, scholasticae theologiae quasi parente illuminer; inops meritorum, meritis Cantuariensis praesulis, jurium Ecclesiae vindicis fortissimi, muniar ac sustinear; ita ut, vix monachus ipse, perfecti hujus monachi ope, impositum mihi opus minus indigne aggredi valeam, fausteque Deo juvante complere.

Sed et instantius spem meam Beatissimae committo Virgini, quae nobis Patris Verbum incarnatum peperit. Hujus maternae voluntati, dum me servum ejus humillimum profiteor, enixe congregationes nostras commendo; quas omnes ac singulas, pro meo in eas amore earumque meritis, hic digna vellem laude celebrare: Cassinensem, Sublacensem, Anglicam, Helveticam, Austriacas, Gallicam Hungaricam, Bavaricam, Americano-Cassinensem, Brasiliensem, Helveto-Americanam, Lusitanam, Scoticam, et si quae sunt per Australiae partes et per orbem sparsa monasteria, Beuronensem denique, amore mihi magis quam praeconio prosequendam.

Precibus suis a Filio impetret nobis Maria, ut Deo vota nostra in dies fidelius reddentes, monastico itinere ad eum perfectionis apicem, quem ipsa in Assumptionis triumpho tam mire est assecuta, post mortalis vitae stadium felici cursu perveniamus. Virgo, nobis imploret fidei integritatem, quae tenebris omnibus pulsis, revelationi illibatae laeta mente assentiat; obedientiae perfectionem, qua humana voluntas, propria lege expedita, Romanae

¹⁾ I. Cor. III, 7.

Ecclesiae, monastico Ordini ultro se subdat; puritatis denique candorem, quo nihil jam praeter Deum cor amet, nisi quod a Deo amare iubetur. Mater potenti suffragio curis nostris faustum efflagitet exitum, ut Christi regnum virtute in nobis, in aliis ministerio nostro crescat atque consolidetur magis. Regina tandem, agmina monastica pro ipsius gloria in terris dimicantia conducat ad victoriam, victorumque tempora in coelestis pacis aula laureis cingat aeternis.

Superest, venerabiles Patres, Fratres dilectissimi, ut confederationis totius nomine, gratias publicas easque maximas reddam Eminentissimo Viro Josepho Cardinali Dusmet, pro laboribus et curis Collegio nostro Anselmiano tam generose impensis. Jam quidem pietatis atque grati sensus haud obscura signa protulistis in concilio nuper, eodem praeclarissimo Praeside in aedibus S. Callixti habito. Nihilominus tanti viri meritis nulla, nec iterata affectus testimonia aequae responderint. Ipse enim prudentiam zelo, simplicitatem auctoritati, purpurae humilitatem miro modo conjungens, tam absolutum monachi exemplar oculis omnium apparuit, ut nihil videretur optandum magis, quam ut alumni nostri vestigia ejus ad amussim sequerentur, a quo tam paterne fovebantur.

Tanti porro operis socium sibi Eminentissimus Praesul habuit Reverendissimum Abbatem D. Caietanum Bernardi, virum prudentia, constantia, humilitate, caritate magnopere conspicuum. Is, cum invitantem se Pontificis vocem audiret, cellae Cassinensi dulcissimae promptus, licet non sine quodam moerore, valedicens, exordia Collegii Anselmiani nullo labore fractus, nullo elatus successu, sapienter conduxit; et quum jam, ipsius praesertim merito, rutilans magis aurora splenderet, laetus in archicoenobium praedilectum se recepit, pristino ibidem muneri vacaturus, ac si casu mere fuisset interruptum. Deus sit ipsi »merces magna nimis«, ¹⁾ gratoque sensui tot studiis aequandis impari supplere dignetur. Suppleat quoque orationis hujus defectui, atque beneficiis cumulatatis zelum rependat eorum omnium qui, quovis titulo, Pontificis vota implentes, de condendo S. Anselmi Collegio optime meriti sunt.

Finem tandem litteris impositurus, me orationibus vestris, Patres colendissimi, amatissimi Fratres, summopere commendaverim; ut, quaecumque ad gloriam Dei, Ordinisque incrementum, pro viribus meis solatio vestro juvandis, proque optima saltem in vos omnes voluntate, conanda mihi fuerint, Omnipotens Deus uberrimis benedictionibus prospere vertat, stabiliat augeatque.

Datum Monte Cassino, ad limina S. Benedicti Abbatis, quinto idus Nov. 1893.

† Hildebrandus de Hemptinne,
Abbas Primas.

¹⁾ Eecli. XXV, 1.